



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta**

**Gallemart, Jean**

**Coloniæ Agrippinæ, 1621**

Bvlla Facvltatis Transferendi Concilii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39157**

## DECLARATIONES.

**Fideliter & diligenter gubernentur.** ] Quoniam curare debent Episcopi, ut Hospitalia à suis administratoribus, quomodolibet exceptis diligenter ac fideliter gubernentur, dubium nõ est quin illorum visitationem instituere debeant, ut per illa cognoscere possint, quæ facere debeant administratores Hospitalium, & Confraternitatum quorumcumque.

## REMISSIONES.

**V**ide Frat. Emman. quest. Regul. tom. 2. q. 63. art. 7. vers. Quinto, & q. 84. art. 2. Zerol. in praxi Episcop. p. 1. verbo Hospitale. n. 2. pag. 173. P. Azori. instit. moral. p. 2. lib. 3. cap. 40. quest. 10. vers. Et sessione.

**β** Quod testator non potest prohibere, ne Episcopus se intromittat circa implementũ, & executionem eorum, quæ ad pias causas relinquuntur, habetur in cap. Tua, de testam. & vide Zerol. ubi supra, Spin. in Speculo Testam. Gloss. 28. principali. nu. 20. Sarmi. lib. 1. Selectat. cap. 11. à num. 13. D. Marra de iurisdic. p. 4. casu 88. à num. 14. Soar. de Paz. in praxi, tom. 2. prælud. 2. num. 44. Bouadil. in sua Politica, lib. 2. cap. 17. num. 102. in fine, Valasc. conf. 105. num. 37.

*Indictio futura Sessionis.*

Item hæc sacrosancta Synodus statuit, & decrevit, proximam futuram Sessionem habendam, & celebrandam esse die Iouis, feria quinta post sequentem Dominicam in Albis, quæ erit vigesima prima mensis Aprilis, præsentis anni 1547.

## BULLA FACULTATIS TRANSFERENDI CONCILII.

**R**AVLVS Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili fratri, Ioanni Mariæ, Episcopo Prænestino, & dilectis filiis, Marcello tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero, ac Reginaldo S. Mariæ in Cosmedin Diacono, Cardinalibus, nostris,



stris & Apostolicæ Sedis Legatis de latere, salutem & Apostolicam benedictionem.

Regimini vniuersalis Ecclesiæ, meritis licet imparibus, disponente Domino, prædentes, nostri officij partes esse putamus, vt, si quid grauius causa Reipublicæ Christianæ constituendum sit, id non modò tempore opportuno, verùm etiam loco commodo & idoneo perficiatur. Cùm itaque nos nuper, postquam suspensionem celebrationis sacri œcumenici & vniuersalis Concilij, aliàs per nos in ciuitate Tridentina, ex causis tunc expressis, de venerabilium fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium consilio & assensu indicti, ex certis aliis etiam tunc expressis causis, vsque ad aliud opportunius & commodius tempus per nos declarandum, de simili consilio & assensu factam, audita pace inter carissimos in Christo filios nostros, Carolum Romanorum Imperatorem, semper Augustum, & Franciscum Francorum Regem Christianissimum, conciliata, pari consilio & assensu sustuleramus & amoueramus: neque vntes ipsi, tunc legitimè impediti, ad dictam ciuitatem personaliter accedere, & eidem Concilio interesse, vos nostros & Apostolicæ Sedis Legatos de latere, in eodem Concilio de simili consilio constituerimus & deputauerimus, vosque ad eandem ciuitatem, tamquam pacis Angelos, destinauerimus, prout in diuersis nostris desuper confectis litteris plenius continetur: Nos, ne tam sanctum celebrationis Concilij huiusmodi opus ex incommoditate loci, aut aliàs quouis modo impediatur, aut plus debito differatur, opportunè providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, pari que consilio & assensu, vobis in simul, aut duobus ex vobis, reliquo legitimo impedimento detento, seu inde fortè absente, quando cumque vobis videbitur, Concilium prædictum de eadem ciuitate Tridentina ad quamcumque aliam commodiorem & opportuniorem seu tutiorem ciuitatem, de qua vobis etiam videbitur, transferendi & mutandi, ac illud  
in ipsa



in ipsa ciuitate Tridentina supprimendi & dissoluendi; necnon Prælati, & aliis personis Concilij huiusmodi, ne in eo ad vltiora in dicta ciuitate Tridentina procedant, etiam sub censuris & pœnis Ecclesiasticis inhibendi, ac idem Concilium in alia ciuitate huiusmodi, ad quam illud transferri & mutari contigerit, continuandi, tenendi & celebrandi, & ad illud Prælatos & alias personas Concilij Tridentini huiusmodi, etiam sub pœnijs & aliis in litteris indictionis Concilij huiusmodi, expressis pœnis, euocandi, eidemque sic translato & mutato Concilio, nomine & auctoritate prædictis præsidendi, ac in eo procedendi, cæteraque in præmissis, & circa ea necessaria & opportuna, alias iuxta priorum vobis directarum litterarum continentiam & tenorem faciendi, statuendi, ordinandi & exequendi, plenam & liberam Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus potestatem & facultatem; ratum & gratum habituri, quidquid per vos in præmissis factum, statutum, ordinatum, executumve fuerit, idque facturi, auctore Domino, inuiolabiliter obseruari. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ, M. D. XLIV. VIII. Kal. Mart. Pontificatus nostri anno XI.

*Fab. Episcopus Spol.*

B. Motta.

SES-